







1768.

1. Ortel, Frider. Christianus Gollub: *De violenta rerum nostrarum defensione.*
2. Veltze, Gollub. Ernest: *An et quatenus usurae ex mora, a quantitate datorum, exigi possint, secundum jus Romanum et hibernum in Germania?*
3. Reichart II, Jo. Augustus: *De statutis provincialibus eorumque variis jurebus.*
- 4⁵ 5. Schesdemantel, Henric. Godspers: *De jure in causis Libyosae successione in regna. Commentatio I & II*
6. Schesdemantel, Henricus Godspers: *De Russia Poloniae auxiliatrice.*
7. Schesdemantel, Henricus Godspers: *De nexu feudali inter gentes.*
8. Walchius, Carl Fridr., Orat. jurisconsult. Decanus: *De genuino fonte distinctionis inter factum animatum et inanimatum in nemosi Carolina Art 131 attributa.*

1768.

9. Walchius, Carolus Fredericus: De querelae inofficiosae done-
lionis prescriptio[n]e.

10. Ockelius, Fodov. Christ. Gottlob: De vindicta privata.

11. Walchius, Carolus Fredericus: De infante herede.

1769.

1. Kalkschmidt, Carolus Fredericus: De lethalitate vulne-
rum capitis in infantibus recens natis.

2. Veltze, Gottlob Eus.: De actione reali adversus quosdam
que possessionem non competentem.

3. Reichert, Fr. Aug.: De jure statutorum provincialium
concurrenti circa legislativam potestatem. 2. Exempt

4. ~~Veltze, Gottlob Eus.: De actione reali adversus
prostantes, delinquentem, neque confessum neque compositum,
quosdamque possessionem non competentem. Programma.~~

condemneri posse.

5. Schmitt, Jacob. Rudmann, 1774. Leib. Decanus: Programm 2.
De metropoli ecclesiastica, a qua ad metropolim protestantem
et inde ad urbem libertatem conclusio potest?

1769

6. Schwenburg, Fidericus Ernestus, S. R. J. Comes et ac Dynasta:
De episcopo minorum.
7. Wriech, Fr. Aug. Hov. : s. Praem. caute atque bene sic
doctrinae juris in sanctionibus placitis illustrandis ac
dependentis⁵ valent. simulque docendi manus . . . etc.
dum audatur . . . in dicit.
8. Walchius, Carl. Fridr., ord. juriscons. Decanus: Programma:
in De privilegio pupilli § 19 d. de reb. aucto. jud. pass.
ejus herede denegato⁵, quo Fr. Fridr. Gmther
disputationem inaug. . . in dicit.
9. Walchius, Carlus Fridricus: De hypotheca pupillorum
ac minorum feudali boemica tractata.
10. Walchius, Carlus Fridricus: De contracta pignoratitia
Hamburgensi.
11. Walchius, Carlus Fridricus: De jure cred. foris mutata
re hypogratata.
12. Wintorbach, Christ. Guich, a: De obligationibus jurisque
parentum et liberorum erga se invicem eorumque funda-
mentis, quo gratulatur

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1768/2
TRACTATIO IVRIDICA

QUA DISQVIRITVR,

AN, ET QUATENVS VSVRAE
EX MORA, A QVANTITATE DONA-
TORIS, EXIGE POSSENT, SECVNDVM
IVS ROMANVM ET MODERNVM
IN GERMANIA?

AVCTORE

GOTTLLOB EVSEB. OELTZE

IVRISVM DOCTORE IN ACADEMIA
GENENSII.

IENAE

EX OFFICINA HELLERSA

1768.

TRACTATIO

ANNO 1688

IN

...

...

...

...

...

...

...

...

...





TRACTATIONIS ARGVMENTVM.

PROOEMIUM

INSTITVTI RATIONEM EXPONIT.

CAPVT I.

GENERALIA QVAEDAM DE VSVRIS PRAE-
MITTIT, et quidem

- §. I *de vsurarum notione.*
- §. II *de naturali earum iustitia.*
- §. III *de permissione earum in ciuitate.*
- §. IV *de necessitate modum earum definiendi.*
- §. V *de modo vsurarum ordinario secundum ius Romanum.*
- §. VI *de vsuris extraordinariis.*
- §. VII *de vsurarum modo secundum ius Germanicum.*
- §. VIII *de odio vsurarum.*

A

§. IX



- §. IX *de fundamentis usurarum secundum ius naturale.*
§. X *de fundamentis usurarum secundum ius Romanum.*
§. XI *an dispositiones iuris Romani circa fundamenta usurarum applicari possint hodie?*
§. XII *quatenus ius domesticum nihil determinat, fundamenta usurarum naturalia hodie obtinent.*

CAPVT II.

QUATENVS, SECVNDVM IVS ROMANVM, QVANTITATIS DONATOR AD VSVRAS MORAE TENEATVR ?

- §. XIII *ordinem dicendorum indicat.*
§. XIV *an haeres mortis caussa donatoris usuras ex mora praestet?*
§. XV *quid, si in donatione inter vivos pactum usurarium in casum morae adiectum?*
§. XVI *quid, si de usuris nihil conuentum, in regula obtineat?*
§. XVII *donator dotis praestat usuras trientes.*
§. XVIII *promissor donationis propter nuptias easdem usuras praestat.*
§. XVIII *an donator ad usuras rei iudicatae teneatur?*

CA-



CAPVT III.

QVATENVS SECVNDVM IVS HODIERNVM IN
GERMANIA QVANTITATIS DONATOR AD
VSVRAS MORAE TENEATVR?

- §. XX *ordinem dicendorum exponit.*
- §. XXI *quid, si donator in casum morae usuras promiserit?*
- §. XXII *quod donator, qui usuras non promisit, ad eas ex mora teneatur, probatur primo argumento.*
- §. XXIII *alterum argumentum pro hac sententia proponitur.*
- §. XXIV *quod haec sententia communi DD et iudicantium opinioni sit conformis.*
- §. XXV *responsio ad primum aduersariorum argumentum.*
- §. XXVI *responsio ad secundum argumentum.*
- §. XXVII — *ad tertium.*
- §. XXVIII — *ad quartum.*
- §. XXVIII *de modo harum usurarum generatim agitur.*
- §. XXX *an donator hodie usuras rei iudicatae debeat?*
- §. XXXI *an usurae dotis et donationis propter nuptias hodie sint trientes?*
- §. XXXII *de cursu harum usurarum generatim.*





- §. XXXIII *quid requiratur, ut cursus earum initium capiatur?*
- §. XXXIV *in regula non currunt, nisi post factam interpellationem.*
- §. XXXV *Modicum etiam tempus, post interpellationem elapsum esse debet.*
- §. XXXVI *casus recensentur, in quibus interpellatione opus non est.*
- §. XXXVII — XXXX *de hisce casibus speciatim agitur.*
- §. XXXXI *quando usurae ex mora donatoris currere desinant?*
- §. XXXXII *Si salvo debito principali mora tollitur, obligatio ad usuras nondum cessat.*



PRO.



PROOEMIUM.

Tametsi de vsuris doctrina, tam vsu forensi frequentissimo, quam etiam doctrinali vtilitate, quam per omnes fere titulos vberime praefat, ICtis se ita commendauerit, vt multum olei operaeque, in ea scriptis suis perpolianda, impenderint: non tamen omnino nullos in medio reliquerunt nodos, quos maxime ad specialiores quaestiones animum aduertens deprehendet. Equidem hoc nuper intellexisse mihi videor, quum in quaestionem inciderem: *an, et quatenus quantitatis donator ad usuras ex mora sit obstrictus?* Quam sequenti responso affirmat scabinatus LIPSIENSIS apud BENEDICT. CARPZOVIUM a): *Diemeil vermöge landüblicher Rechte, auch in Contractibus stricti iuris, Interesse entrichtet und passiret wird; so ist der von Landwüste, von den verschenckten 100 fl., der Silbernagelischen Witwe, a tempore morae, nebenst dem Capital, auch die Interesse zu geben verbunden. V. R. W.*

A 3

Alii

a) in responsis iur. electoral. Lib. IV. resp. 53.



Alii autem non ignobiles ICti, vt IOH. BRVNNEMAN-
 NVS *b*), GOTTL. GERH. TITIVS *c*), GEORG AD.
 STRVVIVS *d*), IO. GEORG BERTOCHIVS *e*), et
 qui sunt reliqui, contrariae sententiae patrocini-
 um praestant, et potissimum ICti MODESTINI auctoritatem
 CARPZOVIO opponunt, qui in *L. 22. π. de donat.* di-
 ferte negat, *donatorem, de mora solutionis pecuniae, usur-
 ras debere.* Ad quam dissensionem componendam hacten-
 us, quantum scio, nemo intercessit, et quae in GER-
 HARD. NOODTII *f*), FRANC. HOTOMANNI *g*),
 CAROL. MOLINAEI *h*), IVST. HENNING. BOEH-
 MERI *i*), aliorumque scriptis de usuris, aut donationi-
 bus, hac de re occurrunt, ad tollendam hancce litem
 vix sufficere videntur. Non itaque plane frustraneum
 et iam actum laborem me suscepturum arbitratus sum,
 si, pensitatis quae utrimque proferuntur rationibus, quae
 sententia praefenda sit, pro ingenii modulo, explicarem.
 Quod, quo magis inoffenso pede peragi posset, genera-
 lem quamdam de usuris tractationem praemittendam mi-
 hi esse, existimaui. Tu autem B. L., vt haec qualiacun-
 que conamina mea aequi bonique censeas, est quod rogo!

CA-

b) in *comment. in π. ad L. 22. π. de donat.*

c) in *iure priuato tit. de euictionib. et usuris §. 33.*

d) in *syntagm. iurisprud. secundum ord. π. tit. de donat. §. 12.*


e) in *promtuariorum iuris practico tit. donatio inter viuos.*

f) *intr. de foenore et usuris.*

g) *diff. de foenore.*

h) *de commerciis et usuris.*

i) *diff. de fundamentis usurarum pecuniae mutuatitiae, quae existit in
 exercit. ad π.*



C A P V T I.

Q V O D
GENERALIA QVAEDAM DE VSVRIS

P R A E M I T T I T.

§. I.

Notio vsurae.



Saepe fit, vt *quantitatis a*) debitor vsu-
eius non gratis percipiat, sed pro quo-
dam pretio, quod *vsurae* nomen a ICtis
acceptit. Quemadmodum enim *vsura* f.
vsurae grammaticae vsu rei, vel, quod pro vsu datur,
designat *b*): ita ICtis, qui *mercedem* ab vsuris sollicitate di-
stin-

a) *quantitas* hoc loco est, vt plerumque ICtis, *quantum de re qua-*
dam fungibili praestandum. Ex instituto de *notione quantitatis* agit
HERM. VVLTEIVS in *discept. iuris Lib. 1. Cap. X.* vid. et BAR-
NAB. BRISSON de *Verb. Signif. h. v. n. 2.*

b) IOH. AVG. ERNESTI *clan. Ciceron, h. voc.*



stinguunt, *VSURA* est *res pro usu quantitatis debitae sol- uenda c)*; *merces* autem *operarum*, aut *usus rei non fun- gibilis* pretium.

§. II.

De naturali vsurarum iustitia.

Conuenientiam vsurarum cum iure naturali, magno verborum apparatu commonstrare, necessarium non duco, quum mihi hac in re iam alii *d)* otium fecerint. Bre- uiter causam dicam: Si homines ad *ro* suum gratis al- teri concedendam naturaliter non sunt obligati; sequitur etiam, vt nec quantitate debita gratis carere teneantur. Ergo, permittente iure naturali, pro vsu quantitatis sibi debitae pretium aliquod exigere poterunt, quod, quum vsurarum nomen habeat (§. I.), patet inde, *quod vsurae*

in

c) confirmant hanc notionem, tam veterum descriptiones, ab eo quod plerumque fit, desumptae, quam nouiorum iuristarum definitiones. Sic AFRICANVS vsuras *pecuniae redditum* appellat *L. 24. ff. de praesca. verb.* et ISIDORVS *Lib. V. Origin. Cap. 35. incrementum saenoris h. e. quantitatis creditae.* GERH. NOOD *cit. tr. Lib. I. Cap. 1. dicit,* quod sint *pecuniae vel frugum accessio, quam creditor a debitore exigit, pro usu fortis.* SAM. L. B. de COCCHEVS *in nouo system. iustitiae nat. et Rom. Lib. 5. Cap. 1. Sect. 2. §. 369. pecunia. qua usus fortis, siue quantitatis debitae, aestimatur.*

d) SAM. PUFFENDORF *de iur. nat. et gent. Lib. 5. Cap. 7. §. 8.* GERH. NOODT *cit. tr. Lib. 1. Cap. 4.* CHRIST. L. B. de WOLFF *in iur. nat. part. IV. §. 1423.*



in se spectatae minime repugnent iuri naturali. Apposite hanc in rem dicit GERHARD. NOODT. cit. loc.: *Si indigeas mea pecunia, quia opprimit te, ut sit, temporalis inopia, tenebor quidem eius usu, si possim, necessitati tuae succurrere; sed non gratis, si non aliud sit, quod me impelat, sed mercede.* Sicut, si opera, vel domo, vel simili indigeas, vult quidem humanae ratio coniunctionis, ut te tuem; sed non, ut hoc gratis faciam, si non aliud sit, quod me moueat - - - quia vult utrumque nostrum, quod potest, ad commune bonum conferre, me igitur usum foris meae, te vero usuram i. e. usus pretium. Neque, praesertim si ius naturae externum, de quo hic sermo est, considero, debitorem pauperem a locuplete, cum CLAVD. SALMASIO e), CASP. ACHAT. BECKIO f), aliisque, distinguo. Quantumuis enim natura nos ad subleuandam aliorum inopiam obstringat, non tamen haecce obligatio, in se spectata, est perfecta, nec satis concinna est argumentatio: *Diuites, ut indigentiae pauperum succurrant, sunt obligati; ergo etiam, ut iis credant sine usuris.* Etenim mille alii adsunt modi, quibus hoc officio perfungi possunt g).

§. III.

e) in tr. de usuris cap. 20. pag. 610.

f) in diff. de usuris ex deposito praestandis §. 7.

g) conf. AVG. de LEYSER, in Medis, ad π, spec. CCXLIII, Med. 2.



§. III.

De permissione usurarum in ciuitate.

Si porro usuras secundum prudentiae ciuili regulas consideramus, tantum abest, vt eas lege ciuili damnandas esse censeamus, vt potius, iis simpliciter prohibitis, vix vllam rempublicam satis florentem fore, arbitremur. Si nempe non platonicas, sed quales hodie plerumque sunt, cogitamus. Non possunt homines in ciuitate confociati commercia et negotia quaestuaria exercere, nisi alter alteri pecuniam aliasue res fungibiles subministret, quibus non solum capite censi, sed etiam opulenti homines ad tempus saepissime indigent. Quotus autem quisque pecuniam aliamue rem fungibilem credit, nisi lucri cupiditate allectus? Ita scilicet seculum, in quo viuimus, aureum est, vt fides quoque sit venalis auro. Prohibitis itaque usuris vix commercia et reliqua negotia quaestuarialia, quae diuitias ciuium augent, efflorescere poterunt *h*). Accedit, quod in qualibet fere republica adfint subditi, qui vix vitam statui suo conuenientem viuere possunt, nisi foenus exercere, iis fuerit permiffum.

§. IV.

De necessitate modum usurarum determinandi.

Quae autem de aequitate et ciuili usurarum vtilitate iam differuimus, ea non de effrenibus ac plane liberis intelli-

h) conf. IVST. HENNINO. BOEHMERI cit. diff. §. 24.



telligenda sunt, sed probabili modo ac sine circumscriptis. Ad iustam mensuram, ut reducantur usurae, in qualibet republica, est necessarium. Primo, ut avaritiae creditorum obex ponatur, qua miseri debitores, rerum angustia coacti, quaeuis imperata promittentes, facile ad incitas rediguntur. Deinde, ut facilius reddatur litium exitus, ratio omnino suadet, ut legislator certum quantum definiat, ab eo exigendum, qui usum quantitatis, aut solutionis frustratione, aut alio facto impediuit. Difficillima enim est probatio eius quod interest, praesertim in debitis pecuniariis i).

S. V.

De modo usurarum secundum ius Romanum.

Ex quo facile intelligitur, quid legum conditores commouerit, ut ad usurarum modum definiendum, tanta cum sollicitudine, accederent. Idque in specie a Romanis triplici ratione factum est, namque

- I ratione quantitatis,
- II ratione multiplicationis, et
- III ratione causae, iis limites posuerunt.

I Quod attinet *quantitatem usurarum*, ante IVSTINIANVM centesimae, h. e. XII pro centum, promitti exigique poterant. Hic autem imperator, quum

B 2

animad-

i) СЛАН. НООДТ, стр. 11. Lib. 2, Cap. 6.



animaduerneret, non eundem omnibus esse pecuniae
 usum, pro diuersa hominum conditione quantitatem
 usurarum diuersimode statuendam esse, existimauit
L. 26. §. 1. C. de usuris. Creditor enim aut est per-
 sona illustris k); aut non. *Illustribus personis trien-*
tes, h. e. IV pro centum indulsit. Si autem credito-
 ris persona illustri dignitate inferior est, aut licitam
 quamdam exercet negotiationem; aut non. *Mercato-*
ribus bessales h. e. VIII pro centum, quorum quippe
 maxime interest pecuniam habere; *reliquis semisses*
 h. e. VI pro centum *cit. L.* permittit.

II Deinde nolunt etiam Romani, vt nimium multipli-
 centur usurae, sed tantum eas crescere permittunt
 usque dum attingunt quantitatem fortis *L. 10. C. de*
usur. Nou. 121. Cap. 1. 2. Prohibitae itaque sunt *usu-*
rae ultra alterum tantum; forte quia monstruosum vi-
 debatur, accessionem ipsam fortem h. e. suum princi-
 pale et quantitate et pretio superare.

III Denique *caussis usurarum* hunc posuerunt modum,
 vt de usuris debitis usuras, ab eodem debitore, exi-
 gere non permetterent, quod *anatocismum* vocant.
 Inconcinnum enim videbatur, accessionis accessionem
 admittere l).

§. VI.

k) viri in maxima dignitate constituti sub imperatoribus *illustres* voca-
 bantur vid. IACOB GYTHERIVM *Lib. 1. de officiis domus augustae.*

l) de qua regula conf. GERM. NOODT, *cit. st. Lib. 2. Cap. 12.*



S. VI.

De usuris extraordinariis.

Quantumvis autem legitimus hicce usurarum modus generaliter praefinitus, in regula observandus fit, ex mente iuris Romani: sunt tamen casus, in quibus ipsae leges ab eo recedere aequum et bonum iudicant. Ex quo *usurae extraordinariae*, quas vocant *m*), trahunt originem, seu quae *ordinariam usurarum mensuram, ob iustam causam non observant*. Atque hae duplicis generis sunt, vel enim ordinarios usurarum limites egrediuntur, vel eos ne quidem attingunt. Ad posteriores pertinent *usurae dotis*, quas *trientes* esse voluit IUSTINIANVS L. 31. §. 2. C. de iure dot. Prioris autem generis sunt

I *Usurae nauticae et quasi nauticae*, pro quibus periculum fortis suscipit creditor, ad certum locum transportandae, eaque propter ante IUSTINIANVM *infinitae* erant; hic autem eas intra *centesimam* consistere voluit L. 26. §. 1. C. de usur.

II *Usurae specierum* h. e. fructuum creditarum *n*), quae itidem ad centesimam redactae sunt a IUSTINIANO L. 22. §. 1. C. de usuris, quum antea, propter incertum fructuum pretium, ex CONSTANTINI constitutione, adhuc maiores essent L. 1. C. Theodos. de usuris.

B 3

III:

m) GERH. TITIVS in iure privato Lib. 5. Cap. 21. §. 20.

n) vid. CLAVD. SALMASIVM de modo usurarum. Cap. 8. pag. 88.





III Vfuræ, quæ ex pacto inter creditorem et debitorem innito in incertis fructuum rei oppignoratæ prouentibus consistunt *L. 17. C. de usuris*. Audiamus hac de re GERHARD. NOODTIUM rationem huius legis optime explicantem o) : *Fac ex fundo plerumque minores percepi fructus, quam qui expleant usuræ modum. Fac interdum maiores nasci, ita, ut, utrum fiat, parum liqueat. Seruanda conuentio est, propter incertum fructuum prouentum, quo fit, ut nihil in fraudem legis admittatur - - - compensatur enim spes commodi cum periculo damni, videturque eo inducî aequalitas, quam lex inter debitorem et creditorem seruari postulat p).*

IV Vfuræ rei iudicatæ, si nempe reus post quadrimestres inducias a tempore rei iudicatæ morose non soluit, ad centesimas vsuras tenetur *L. 3. C. de usuris rei iud.*

V Vfuræ, quæ ciuitatibus debentur. Has scilicet eatenus ab ordinario vsurarum modo exceptit IUSTINIANVS, ut ultra alterum tantum excrefcere possint *Nou. 160. Cap. 1.* Ad quod beneficium ciuitatibus indulgendum, se commotum esse, dicit imperator,

o) cit. tr. *Lib. 2. Cap. 9.*

p) vsûm hodiernum huius dispositionis impugnavit GOTTOFR. LVD. MENCRENEVS in *disf. Helmstadii habita: nullum excessum vsurarum in pacto antichretico tolerandum esse.*

tor, ne fors earum depercat et opera publica labefactentur q).

§. VII.

De legitimo usurarum modo secundum ius Germanicum.

Haec de legitimo usurarum modo, ex mente iuris Romani, sufficiant. Paucis adhuc de iure domestico discipiamus. Ac primo quidem satis constat, quod leges imperii, non obseruata distinctione inter personas illustres, mercatores et alias (§. V.), quincunces usuras approbauerint. *Ord. Polit. 1548. tit. 17. §. 8. 1577. tit. 17. §. 9. Rec. Deput. 1600. §. 139. et maxime R. F. nou. §. 174.* vbi sequentia leguntur: *Anreichend die künftige Zins und Interesse, sollen von nun an dieselbige, sie seyn aus wiederkäufflichen Zinsen, oder vorgestrecktem Anlehn herrührig, und versprochen, iedoch nach Anweisung der Reichsconstitutionen und weiter nichts, als 5 pro cento, alle und iede Jahre in verglichen Terminen, unfehlbar gezahlet etc.* Usurae itaque ordinariae secundum ius hodiernum, sunt quincunces, quamuis semisses, diuersarum prouinciarum legibus, eatenus sint approbatae, vt pacto promitti possint r); et passim etiam ex iure Romano aliquid adoptauerint, specia- lium iurium auctores s).

Dein.

q) AVG. de LEYSER spec. CCXLV. m. 2.

r) AVG. de LEYSER spec. CCXLV. med. 2.

s) quo pertinet edictum regis BORUSSIAE 1701. quo *cessales usurae*



Deinde non indistincte *usuras ultra alterum tantum* cum Iustiniano (§. V. n. III.) reprobatur hodierna praxis *t*); sed ius *Codicis* obseruat, *usuras restantes* tantum reprobandas, quatenus fortis quantitatem excedunt, *L. 10. C. de usuris*, minime autem *particulariter solutas*.

Tandem nec *anatocisnum* indistincte et ubique reprobatur fori vsus, sed permittit creditoribus, vt de restantibus usuris a debitore sibi iterum usuras stipulare; non autem, vt eiusmodi pactione deficiente, usurarum usuras exigere possit *u*). Et sane nihil interest debitoris, vtrum accepta a creditore mutua pecunia, ei usuras soluat an, quas debet, eius consensu retineat, quo in casu mutua pecunia breui manu data intelligitur *w*). Quemadmodum igitur, qui mutuum dat creditor, usuras sibi stipulare potest; ita etiam, qui retentionem usurarum concedit.

§. VIII.

ras mercatoribus permittit (§. V.) addita ratione: *Weil er (der Kaufmann) damit ein weit mehreres, als vom gewöhnlichen Zins gewinnen kan.* - - -

t) teste ILLVSTRI IOH. AVG. HELFELD *in iurisp. for. secundum n. ordinem tit. de usuris* §. 1134. CELEB. CARL. FRID. WALCH *in select. iuris controu. Sylog. part. 2. disput. XIV.* SAM. STRYCKIO *in Vsu Mod. n. cod. tit. §. 17.* Pertinet etiam *Nov. 121.* quae ius Cod. corrigit, ad non glossatas vid. *LYD. MENCKEN. diss. de nouellis glossatis et non glossatis.*

u) ILLVSTRIS HELFELD *cit. loc. §. 1135.*

w) vid. *GEORG. AD. STRVVI* *diss. de longa et breui manu* *Cap. 2. §. 3.*



§. VIII.

De odio usurarum.

Si vsuras non immodicas, sed ad iustam mensuram reuocatas contemplamur, nihil sane est, cur *odiosae* videri debeant, aut legum conditoribus, aut earum ministris, quum se aequitate pariter ac ciuili vtilitate commendent (§. II. et III.). In contrariam autem sententiam Romani iuris conditores abire, sunt qui statuunt *x*). Quod, si de iis temporibus intelligerent, quibus locupletes patricii pauperiores ciues foenore opprimere conabantur *a*), Iubens in eorum sententiam abirem. Quum vero in statu monarchico illud odium perdurasse, et ICTos Romanos cum Stoicis *b*) et Aristotelicis *c*) vsuras, tamquam naturaliter illicitas considerasse, doceant; non possum, quin ab eorum

x) CHRIST. HENR. ECKARD in *hermeneutica iuris* pag. 112. §. 145. GABRIEL SCHWEDER in *diss. de vsuris pretii tardius soluti* §. 60.

a) id quod variis seditionibus et plebiscitis in odium vsurarum latis occasionem praeiuit, in quorum numero L. GENVCIA fuit, vsuras inter ciues Romanos prohibens. Vide LIVIVM Lib. 4. Cap. 27. et Lib. 25. Cap. 7. CORNEL. TACITVM in *annal. lib. 6. cap. 16.* APPIANVM lib. 1. de *bellis ciuilibus.*

b) SENECA Lib. 7. de *benefic. cap. 10.* CICERO lib. 2. de *offic. cap. 25.*

c) ARISTOTELES in *politic. lib. 1. cap. 10.*



rum traditis discedam. Certe, si vnquam d), in hoc capite a stoa diuortium fecerunt, quod ex *L. 15. de interd. et relegat. L. 26. pr. ff. de condict. indebit. L. 34. ff. de usur.* aliisque legibus et argumentis plenissime probari potest, vt alio tempore fufius ostendam. Ius canonicum autem vsuras, vt iniquas et sacris litteris contrarias prohibuisse *c. 1. C. 14. quest. 3. Cap. 1. 4. 6. 10. X. de usuris*, constat. Quam tamen prohibitionem reipublicae et priuatis noxiam (§. III.), praxis in Germania elufit e), donec tandem legibus imperii tolleretur *R. I. 1600. §. so viel nur 152. R. I. nou. §. 174.*

§. IX.

De fundamentis vsurarum secundum ius naturale.

Ad enucleanda vsurarum fundamenta iam progredimur, sub quibus intelligimus, *rationes, quae efficiunt, vt vsuras ab aliquo iure exigere possimus.* Vsurae sunt quantitatis debitae pretium (§. I). Ergo secundum ius naturale vsuras exigere possumus.

I Ex

d) quod ICti Romani non omnes stoicorum doctrinas probauerint, docet ECKARD. cit. loc. cap. 100.

e) conf. IOH. GOTTFR. DE MEYERN in tr. von der Zulässigkeit des sechsten Zinsthalers, qui fata vsurarum in Germania docte enarrauit IVST. HENNING. BOEHMER. in iure eccl. protest. tit. de usuris §. 26. seqq. et in cit. diss. de fundam. pecuniae mutuatissae §. 27. seqq.

- I *Ex conuentione*, qua tale pretium nobis aliquis promisit.
- II *Propter usum*, quem aliquis e quantitate nobis debita percepit sine iure, quantumuis ei nihil imputari possit. Vult enim naturalis ratio, vt quaeuis iniusta lucra restituantur f).
- III *Propter factum illicitum*, si nempe aliquis aut dolo aut culpa sua impediuit, quo minus nos quantitate nobis debita vteremur, tunc enim ad damni reparationem, sicque ad pretium vsus, quem impediuit omnino obstringitur. Tale factum est *mora*, qua nempe quantitatis debitor solutionem eius dolose aut culpose differt. Ergo *ad naturalia usurarum fundamenta pertinet etiam debitoris mora g).*

S. X.

De fundamentis usurarum secundum ius Romanum.

Hicse autem naturalibus usurarum fundamentis ius civile Romanum, quod, vt *VLPIANVS* loquitur *L. 6. ff.*

C 2

de

- f) conf. *SAM. L. B. de COCCERII nouum system. iurisprud. nat. et Rom. Lib. 5. Cap. 1. §. 371.* *IVST. HENNING. BOEHMER* in *diff. de fundamentis usurar. pecunias mutuat. §. 4. n. 2.*
- g) Minime autem vnice mora huc pertinet, plura enim dantur facta illicita, quibus vsus quantitatis alienae impeditur v. g. si quis sequestrum vel arrestum pecuniae alienae sine iusta causa impetrauit conf. *LEYSER spec. CXXXVIII. Cor. 3. et spec. CCXLIV. medit. 4.*



de Iust. et Iur. non in totum iuri naturali seruit, efficaciam in foris suis non simpliciter tribuit. Etenim

I *Conventioni usurariae* (S. praeced. n. I) secundum ius Rom vis perfecte obligandi per se non inest; non itaque actionem producit, nisi aut 1) per stipulationem sit innita, aut 2) contractui bonae fidei, excepto tamen mutuo *h*), in continenti sit addita; aut 3) a lege noua speciatim confirmata *i*) *L. 4. C. de usuris, IVL. PAVLVS in recept. sententiis tit. 14. k*). Neque

II

b) GERH. NOODT *cit. tr. Lib. 3. Cap. 1. SAM. STRYCK in Vsu Mod. tit. de usuris §. 5.* et plerique alii, hanc exceptionem non agnoscunt, quia mutuum pro contractu stricti iuris habent, quod tamen defendi nequit, non enim ad contractus formularios sed reales pertinet conf. IVST. HENNING. BOEHMERVM in *tr. de actionibus sect. 1. Cap. 3. §. 33. CELEB. IOH. HENR. CHR. de SELCHOW in elem. antiquit. iur. Rom. §. 752.* Rationem autem huius exceptionis ex me quaerenti responderem, quod ad substantiam mutui proprie talis pertinuerit, ut res fungibilis gratis vendita daretur, in hoc enim mutuum distabat a foenore, quod mutuum gratis, foenus sub usuris daretur VARRO *Lib. 4. de lingua latina SALMASIVS de usuris Cap. 2.* pactum itaque usurarium substantiae mutui contrarium erat, Conf. IVST. HENNING. BOEHMERVM *cit. diff. §. 10.*

i) quo pertinet pactum, quo ciuitatibus usurae sunt promissae *L. 30. π. de usuris.* reliqua vid. apud BOEHMERVM *cit. diff. §. 16.*

k) apud ANT. SCHVLLINGIVM in *iusprudentia antieusinae* pag. m. 211.

II *Vfus ex aliena quantitate sine iure perceptus, indiftincte ad vfuras ciuilliter obligat, fed tantum in contractibus bonae fidei, non in stricti iuris negotiis, aut quibuscunque aliis cauffarum figuris L. 10. §. 8. D. mand. L. 60. D. pro socio iunct. L. I. C. de conf. indeb. Nec etiam.*

III *factum illicitum, quod §. praeced. exposui, ideoque nec mora debitoris ciuilliter obligat ad vfuras, praeter quam in cauffis bonae fidei L. 24. D. deposit. vel contr. et in quibusdam aliis, quas lex ciuilis iis exaequauit 1).*

§. XI.

An hae dispositiones iuris Romani applicari possint hodie?

At enim vero haec omnia, quae ius Romanum circa naturalia vfurarum fundamenta disposuit (praeced.), apud nos applicari nequeunt; quia eiusmodi instituta supponunt, quae a nostris foris quam longissime absunt. Quod, quo magis pateat, per singula eamus. Conuentio vfuraria, per se et propriis quasi viribus, actionem non producit (§. X. n. 1.), quia placuit Romani iuris auctori- bus, ad praescindendas lites, non in genere omnibus pa-

C 3

tion-

1) Sic legata et fideicommissa ratione vfurarum negotiis bonae fidei exaequantur, ideoque a tempore morae haeres ad vfuras tenetur legatario L. 34. π. de vfuris GERH. NOODT, cit. tr. Lib. 3, Cap. 7.



tionibus eam vñ tribuere, vt, quemadmodum ANTONINVS loquitur *m*), iis *optimi iure* debitum (contrahi possit, ex quo nempe non solum excipiendi, sed et *agendi* h. e. litem iudicalem inchoandi facultas competit *n*). At nostris moribus quamcunque pactionem naturaliter validam et *optimi iure* valere, quis est qui nesciat? Valeat itaque in nostris foris conuentio vsuraria, nec stipulatione aut quouis alio peregrino habitu indiget *o*). Deinde, secundum ius Romanum, nec vsus alienae quantitatis sine iure perceptus, nec factum illicitum vt *mora debitoris*, ad vsurarum debitum firmiter contrahendum sufficit. (§. X. p. II et III.), nisi causae ex qua agitur qualitas exigat, vt iudex *summam aequitatem* (sequatur *p*), h. e. nisi agatur e contractu bonae fidei, qui nempe ad formularios non pertinet *q*). At nos, qui contractus formularios non habemus, nec distinctionem causarum in b. f. stricti iuris, et tertii generis, adoptauimus *r*). Quomodo itaque eius-

m) L. 3. C. de vsuris.

n) conf. ILLVST. MEISTERI *diff. de in factum actionibus* vbi §. 6. et seqq. de origine contractuum Rom. agitur, Exstat in *opuscul. ad ius civile pertinentibus pag. 309.*

o) vid. ILLVST. HELFELD. *iurisprud. forens. tit. de passis §. 312.* SAM. STRYCK, *in Vsu Modern. π. tit. de vsuris §. 6.* LAVTERBACH. *in collegio theoretico practico ad π. tit. de vsuris §. 13.*

p) vid. L. 31. π. *depositi.*

q) IVST. HENNING. BOEHMER, *in cit. diff. de fundam. vsur. pec. mutual. §. 6.*

r) id quod late deducit IVST. HENNING BOEHMER *in tr. de*

comodi caussarum qualitas fundamentis vsurarum aliquid addere, vel detrahere potest?

§. XII.

Quatenus ius domesticum nihil determinat, fundamenta vsurarum naturalia hodie obtinent.

Quae quum ita se habeant, vera mihi videtur opinio existimantium, quod quatenus iura domestica de fundamentis vsurarum nihil disponunt, ius naturale, ex ipsa scilicet vsurarum notione deductum, hodie applicari debeat. Deficientibus enim legibus domesticis ad peregrinas progredimur, et, si haec etiam deficiunt, vel applicari nequeunt, nihil superest, quam ut ius naturale sequamur s). Iam vero in doctrina de fundamentis vsurarum dispositio iuris Canonici deficit, quippe quod vsurarum reprobat (§. VIII), ideoque fundamenta earum non determinat. Dispositiones autem iuris Romani circa naturalia vsurarum fundamenta applicari non posse, modo probavi (§. praeced.). Recte itaque se habent, quae tradit IOH. SCHILTERVS t), quod nempe *moribus nostris obligatio ad vsuras naturalis, perfecta nimirum, etiam civilem obtineat efficaciam.*

CA-

de actionibus sect. 1. Cap. 3. §. 29. seqq. NIC. HIER. GYNDLING in *diff. de vsu practico actionum stricti iuris et b. f.* ESAIAS PVFFENDORFF in *tr. de culpa pag. 201.* Testes etiam sunt LVDOVICI in *destr. n. tit. de condit. in debit.* §. 16. SAM. STRYCK. in *Vsu Modern. cod. tit. §. 2.* LEYSER. *Spec. CXLVIII. med. 9.*

s) PER ILLVSTR. DAN. NETTELBLADT in *diff. de variis casus in foro obuios decidenai modis in genere* Halae habita 1750.
t) in *praxi iuris Romani Exercit. 24. §. 38.*



CAPVT II.
QVOD DISQVIRIT,
QVATENVS, SECVNDVM IVS RO-
MANVM, QVANTITATIS DONATOR AD
VSVRAS MORAE TENEATVR?

§. XIII.

Ordo dicendorum.



Iam, vt ad ipsius propositae quaestionis discus-
sionem nos accingamus, tempus monet.
Ac primo quidem, vt datam fidem libere-
mus, hoc capite, quid de iure Romano
Iustiniano quaerentibus respondendum sit,
videbimus. Deinde sequenti capite e foro Romano in
patriam reuertemur, de hodierna donatoris obligatione ad
vsuras morae exposituri.

§. XIV.



§. XIV.

Haeres mortis causa donatoris vsuras ex mora praestat.

Qui quantitatem donat, vel *mortis causa* hoc facit, vel *inter vivos*. Mortis causa donatio re vera ultimam voluntatem continet, quia adiectam habet conditionem, ut demum post obitum donatoris valida fiat *u*); ideoque non tam iure pactorum, quam ultimarum voluntatum, et in specie legatorum censetur *L. fin. C. de donat. caus. mortis*. Quemadmodum itaque haeres, propter moram soluendi legati, aut fideicommissi, legatario aut fideicommissario ad vsuras obstringitur (§. XI. not. LI.): ita et ob mortis causa donationem, quam praestare iussus, iusto tempore non implevit, donatario ad vsuras tenebitur; quantumvis testator de iis diserte nihil disposuerit.

§. XV.

Quid, si in donatione inter vivos pactum usurarium in casum morae adiectum?

Si quis autem *inter vivos* quantitatem donavit, aut pactioe addita, se in casum morae ad vsuras obligavit; aut

u) conf. FERILL. IOH. WOE. CARRACHII *diff. differentiae iuris Rom. et Germ. in mortis caus. donatione* §. 3. ILLVSTRIS HERZFELD *in iurispr. forensk* §. 1696.



aut non, Si prius seruanda quidem conuentio est; at enim, quia donatio ad contractus bonae fidei non refertur *L. 22. ff. de donat, nuda* tantum haec conuentio erit h. e. ad producendam actionem insufficientis (§. X. n. I.), nisi stipulationis forma adhibita fuerit, cui quippe haec vis inest, vt cuicumque pacto nudo obligationem ciuilem conciliare queat *w*).

§. XVI.

Quid, si de vsuris nihil conuentum, in regula obtineat?

At si donator eiusmodi pactionem usurariam non pepigit, nec regulariter ad vsuras ex mora obligatur. Mora enim in se spectata non est factum *ciuilit* obligatorium, nec per se sufficit ad producendum obligationem ad vsuras, sed tantum quatenus committitur in causa bonae fidei, quae scilicet *contractum non formularium* respicit (§. X. n. III.). Ad hosce autem contractus donationem non pertinere facile, probari potest. Donatio enim inter viuos, de qua iam loquimur, aut per stipulationem inita est *x*), aut pacto. Priori casu est contractus formularius,

w) conf. IV ST. HENNING, BOEHMER, *ad Instit. tit. de Verb. Obligat. §. 1. not. p.*

x) vid. *L. 33. π. de donat.* IOH. ORTW. WESTENBERGII *principia iuri secundum orde D. tit. de donat. §. 7.*

larius, ideoque stricti iuris *y*). Posteriori autem casu donatio plane non est contractus, quia ad antiquissimas illas ciuilibiter obligandi formas non pertinet, sed est *pa-ctum legitimum* per constitutionem principis confirmatum *z*). Si hanc philosophiam taxas, *MODESTINO* litem denuncio, qui in *L. 22. π . de donat.* ita loquitur: *Qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniae usuras non debere, summae aequitatis est, maxime, cum in bonae fidei contractibus donationis species non deputetur.* Quo magis autem mentem *MODESTINI* nostri perspiciamus, rationes, quas ipse sententiae suae subiicit, paulo penitius perlustrabimus. Prima ratio est, quod summae aequitatis sit donatorem ab usurarum onere absolueret. Ingratus enim videtur, qui poenam morae a benefactore exigit, cui quippe beneficium suum non debet esse damnosum. At enim ad officia imperfecta pertinere hanc aequitatem, ideoque in foris non sufficere animaduertens *MODESTINVS a)*; aliam suppeditat rationem magis idoneam, quod nempe mora per se non sufficiat ad obligationem ciuilem ad sol-

D 2

uendas

y) *IYST. HENNING. BOEHMER. cit. diss. de fundamentis usurarum pecuniae mutuae. §. 6.*

z) *L. 35. §. 4. 5. C. de donat.*

a) Rationes quas *ICti Rom.* in *π .* adferunt non omnes adaequatas esse, obseruauit *HERM. CONRINGIUS de prudentia ciuili cap. 14. et ANDR. OCKEL in iureconsulto rationali pag. 105. th. 25.*



uendas vsuras contrahendam, et tantum in bonae fidei contractibus hancce efficaciam acceperit ex constitutione ANTONINI PII L. 24. D. deposit. vel contra b), in quorum numero donatio nonprehenditur.

§. XVII.

Donator dotis praestat vsuras trientes.

Quod MODESTINI pronunciatum, quantumvis generalibus verbis conceptum sit; pace tamen eius quasdam species ab eo excipiam. Ac primo quidem *promissor dotis*, ob fauorem matrimonii et alimentorum, ex IVSTINIANI constitutione, ad *trientes vsuras* obligatur, dote intra biennium, a tempore initi matrimonii, non soluta L. 31. §. 2. C. de iure dot. Nec obiciat, quod promissio dotis donationis speciem non constituat, quia dos ad onera matrimonii subleuanda marito conceditur. Est omnino donatio quamvis *modalis*, hoc est, quae finem adiectum habet, ad quem impendi res donata debet. Modo supponas, gratis promitti dotem, vt scilicet pro eius concessione nihil vicissim promissori praestetur iure perfecto exigendum. Hoc enim posito, adest conuentio de re quadam gratis in alterum transferenda, quam donationem vocari tralatitium est c).

§. XVIII.

b) conf. GERHARD NOODT cit. tr. lib. 3. Cap. 6.

c) *Systema iur. ciu. secundum π. MENGKENIO SCHOENIA-
NUM tit. de donat. §. 1.*



§. XVIII.

*Promissor donationis propter nuptias iudem praestat
usuras trientes.*

Et quia donatio propter nuptias substantia et iure a dote non differt, docente IVSTINIANO in L. 20. C. de donat. ante nupt. eumque in finem vxori conceditur, vt ex eius emolumentis alimenta percipere possit, in casu si maritus ea non praestiterit *d*): facile patet, quod haecce donatio etiam illud vsurarium priuilegium habeat, de quo dixi (§. praeced.). Poterit itaque vxor, cui maritus alimenta ciuilia non praestat, ab eo qui hanc donationem promisit, post biennium, trientes vsuras postulare.

§. XVIII.

Donator ad usuras rei iudicatae tenetur?

Tandem, quum quilibet reus ad praestandam quantitatem condemnatus, si post quadrimestres inducias morose non soluit, ad *centesimas usuras* se obstringat, ex dispositione IVSTINIANI (§. VI. n. IV.), ad easque exigendas iudicati actione conueniri queat L. 3. C. de Vsu-

D 3

ris

d) veram huius donationis indolem antea latentem in lucem protraxit GOTTIEB. HEINECCIUS in diss. *vxor Romano de alimentis per propter nuptias donationem secura tantum* vid. etiam FRID. ESAIAM PUFFENDORFFIUM in *obseruat. iuris uniuersi* tom. 2. obs. 39. et b. IACOB. RAVII diss. *de vera indole donationis propter nuptias Romanae.*



vis rei iudic.; sequitur etiam, vt hisce sub circumstantiis, quantitatis donator ad centesimas vsuras donatario teneatur. Nec iuuabit eum ad MODESTINI doctrinam, pro-uocasse (§. XVI.); quia per rem iudicatam facta nouatio est, et obligationis causa in aliam veluti formam transfusa *L. 3. §. 11. π. de pecul. L. 16. §. 6. π. de pignor.* Potuisssem haec omnia latius et plurium verborum apparatu persequi; sed non placuit. Lectorem enim iter ex La-tio in patriam parare suspicor.





CAPVT III.

QVATENVS SECVNDVM IVS HO-
DIERNVM IN GERMANIA QVANTITATIS
DONATOR AD VSVRAS MORAE
TENEATVR?

§. XX.

Ordo dicendorum.



Iam itaque vsuras ex mora donatoris secun-
dum ius hodiernum considerabimus, quod
vt iusto ordine peragatur,

I *an quantitatis donator ad eiusmodi vsuras hodie sit
obstrictus?* perquiremus. Deinde

II *modum*, et denique

III *cursum* harum vsurarum, siue tempus, quo inci-
piunt et desinunt deberi, explicabimus.

§. XXI.

Quid, si donator in casum morae vsuras promisit?

Hodie quantitatis donator, aut pacto vsuras in ca-
sum morae promisit; aut non. Si prius data fides pro-
cul



cul dubio feruari debet *d*). Quumque talis conuentio vsuraria naturaliter valida, nostris moribus plenissimum effectum ciuilem habeat (§. XI), etiam actionem producit, et quidem *separatam*, qua nempe uti potest donatarius extincta iam principali obligatione et actione *e*).

§. XXII.

Quod donator, qui vsuras non promisit, ex mora ad eas teneatur, probatur primo argumento.

Quodsi vero de vsuris inter donatorem et donatarium nec quidquam pactum fuerit, illum ad vsuras ex mora cum BENEDICT. CARPZOVIO *f*), CHRISTOPH. PHILIP. RICHTERO *g*) aliisque obligatum esse arbitror. In horum sententiam, ut abeam, quamuis multi alia omnia sentiant (vid. prooem.), mouet me primo, quod leges imperii et praecipue *R. J. 1600. §. so-
viel*

d) non tamen valet hocce pactum, quatenus promissae vsurae legitimum modum excedunt (§. VII); non enim pactis priuatorum iuri prohibitio derogare licet, et ne quidem testatori permissum est, ut haeredem in soluendis legatis moras necentem in vsuras condemnet, quae legitimum modum superant *L. 3. §. vlt. ff. de ann. legat.*

e) SAM. STRYCK. in *Vsu Moderno*. n. tit. de vsuris §. 8. CHRISTOPH. PHILIP. RICHTER in *decisionibus iuris variis part. 1. decis. 74. n. 63. seqq.*

f) in *respons. iur. electoral. Lib. 4. Resp. 53.*

g) in *cit. decis. n. 29. in fine.*

viel nun cuicumque creditori vsuras morae adiudicent, id-
que, *sine respectu ad causam debiti*, si mentem legis recte
ponderamus. Imperant itaque vsuras cuicumque debitori
moroso, siue ex causa onerosa, siue ex sua liberalitate
debeat. Obiicis, quod laudata imperii sanctio de eiusmodi
modi creditore loquatur, *qui mutuum dedit*, ideoque om-
nino causam mutui supponat, verbis: *Wenn der Schuld-
ner in mora restituendi PECVNIAM MUTVAM ist ---
so ordnen und wollen wir nochmals, daß solche interesse, a
tempore mora, erstattet, und derentwegen dem Creditori 5%*
von hundert bezahlet werden. Sed rehero: verba legis
quidem concepta sunt de mutuo, in quo soluendo mora
admissa est, vtpote casu frequentissime in iudiciis impe-
rii occurrente *h*); vis autem et potestas legis latius se ex-
tendit, non enim creditori vsuras adiudicat, quia mutu-
um dedit *i*), sed quia aequitas postulat, vt pro vsu quan-
tatis debitae, quo creditor ob culpofam aut dolofam di-
lationem debitoris caruit, pretium aliquod praestetur.
Nonne haecce ratio in quavis causa, vbi in soluenda quan-
titate

h) vid. verb. initialia cit. §. R. I. all.

i) mutuum adhuc hodie, secundum ipsas leges imperii, per se non
vsurarium, sed gratuitum esse, ostendit AVG. de LEYSER *spee.*
CXXX. med. 3. SAM. STRYCK *in Vsu Mod. π. tit. de rebus
creditis §. 10.* ideoque ad fundandas vsuras ex mora, nihil magis
conferre potest, quam quaeuis alia causa, ex qua quantitas perfecta
debetur.

E



titate debita mora admissa est, locum sibi vindicabit? Et sane ipse legislator hanc legis vim, ne quis verba captet, digito veluti commonstrat, hanc dispositionis suae adiiciens rationem: *Weil zuvermuthen, daß der Creditor von solcher Zeit an (scilicet a tempore morae) sein Geld anlegen, und zugelassener Weise, von hundert fünfse wohl haben möge.* Cur itaque hance imperii legem ad mutuum pecuniarium restringant DD. verbis inhaerentes, quantum video, nihil est, nisi principium illud, olim profiteri solitum, hodie autem in quorundam animis, vt anguis in herba latens, quod scilicet *domesticae leges, quatenus a peregrinis recedunt, sint strictae interpretationis*, cuius falsitatem, vt iam late deducam, non videtur esse opus *k*). Quomodo enim possunt ea iura, quae tantum in subsidium recepta sunt, domesticorum vim infringere? Certe non magis, quam magistratum iussa ea coartare possunt, quae princeps constituit. Dicendum potius est, quod tunc demum e peregrinorum iurium fontibus hauriendum sit, vbi neque expressae adsunt domesticarum legum dispositiones, neque ex ratione et analogia earum, decisio peti potest.

§. XXIII.

k) conf. GOTTL. GERH. TITIVM in iure privato R. G. Lib. 1. Cap. 6. §. 23. seqq. et in obs. ad LAVTERBACHIVM obs. 4. CHRIST. HENR. ECKARD in hermeneutica iuris lib. 2. cap. 1. §. 19. et qui hoc argumentum late persequitur CONRAD. SINCERVM, vel qui sub hoc nomine latere voluit, IOH. GEORG KVLPISEVM de Germ. leg. veterum ac Rom. in re publica nostra origine pag. 56. et seqq.



§. XXIII.

Aliud argumentum.

Deinde etiam si demus, quod volunt dissentientes, nempe quod domestica iura omnino nihil disponant, ad decidendam quaestionem a nobis propositam idoneam; consequens tamen erit, ut haec quaestio in nostris foris secundum ius naturale diiudicanda sit. Supra enim probavi (§. XII.), quod quatenus iura domestica de fundamentis usurarum nihil disponunt, ius naturale hodie applicari debeat. Ius naturae autem quemcumque debitorem et sic etiam donatorem, propter moram in soluenda quantitate debita ad usuras obstringit (§. IX.). Ergo ex ipsa aduersariorum hypothese fluit hodierna donatoris ad usuras ex mora obligatio.

§. XXIV.

Quod haec sententia communi DD opinioni sit conformis.

Nec parum haec sententia communi DD. et iudicantium opinione adiuuatur, qui scilicet asserunt, et testantur, quod in nostris foris mora in soluenda quantitate debita admissa, indistincte legitimum sit usurarum fundamentum. Ita statuunt, MATH. BERLICH¹⁾, GEORG.

E 2 FRANTZ.

1) Part. 2. conclus. 38.



FRANTZKIVS *m*), BENEDICT. CARPZOVIUS *n*),
CHRISTOPH. PHILIP. RICHTER *o*), GEORG.
AD. STRUVIUS *p*), SAM. STRYCK *q*), AVG. DE
LEYSER *r*), IOH. GOTTFR. SCHAVMBURG *s*),
aliique quam plurimi.

§. XXV.

Responsio ad primum aduersariorum argumentum.

Iam, quibus adminiculis aduersarii sententiam suam defendant, perlustrabimus. Praecipuum a MODESTINO praesidium petunt, qui, vt nouimus, in *L. 22. π. de donat.* expresse negat, *donatorem de mora solutionis usuras debere*. At enim vero si recte calculum ponimus, haec MODESTINI decisio, saluo honore concipientis, e foris nostris proferenda est. Pugnat enim cum iure domestico, quod, vti modo (XXII.) declaratum est, donatorem ab hoc usurarum onere minime liberat. Neque illud causarum discrimen in foris nostris locum sibi vindicat, quod

m) lib. 2. resolut. 10. n. 84.

n) tit. 4. respons. 50. n. 18.

o) Part. 2. decis. 74. n. 17. seqq.

p) in *Syntagm. iurispr. ciu. exercit. 27. th. 45.*

q) in *usu modern. π. tit. de usuris §. 5.*

r) *specim. CXLVIII. medit. 10.*

s) in *compendio iuris D. tit. de usuris §. 2.*

quod **MODESTINVM**, vt ita decideret, commouit, nempe in bonae fidei, stricti iuris, et tertii generis (§. XI in fine et §. XVI.).

§. XXVI.

Responsio ad secundum argumentum aduersariorum.

Instant dissentientes, quod sicut donator gratuitam et abstinentem ab omni lucro fidem praestat donatario: ita iuris rationi minime consentaneum sit, benefactorem usurarum onere praegravari, mercedemque ab eo postulare, qui ex mera amicitia aliquid promisit. Sane beneficium suum nemini debet esse damnosum. Est iniquum, est inciuile, largior, onerare benefactorem. At donatarius usuras morae exigens eum non onerat; ipse potius benefactor dolosa culposae cessatione sua hocce onus in se deuoluit. Nec ipsum beneficium tale detrimentum benefactori affert, sed cessationis vitium. Merito itaque damnum, quod sua culpa sentit non intelligitur sentire. Si analogia placet, similis quodammodo est donator morosus depositorio, qui interpellatus depositum non rededit. Quantumuis enim et hic beneficium exhibuerit deponenti, gratuita sua custodia: nihilominus tamen, quia culposae cessauit, ad usuras depositae quantitatis eum teneri, pauci ignorant †).

E 3

§. XXVII.

†) conf. **CASP. ACHAT. BECKII** cit. diss. de usuris ex deposito praestandis.



§. XXVII.

Responsio ad tertium argumentum.

Vrgent quoque dissentientes, quod donationis, ex communi hominum indole, ea sit ratio, vt stricte explicari debeat, quum nemo facile suum iacet. Ideoque eam ad vsuras extendi non posse, nisi diserte se ita obligauerit donator. Sed hoc argumentum, quantum equidem video, thesin non ferit. Est omnino donatio, in casu dubio, stricte potius quam extensiuè intelligenda, quod ipsum leges quoque agnoscunt ^u). At enim donatarius vsuras non poscit quasi promissas, et in donationis lege comprehensas; sed, quasi ex nouo facto obligatorio, culpa scilicet frustratione, debitas (§. XXII).

§. XXVIII.

Quartum aduersariorum argumentum.

A fructibus quoque argumentum desumunt, idque primo quidem intuitu, non improbabile. Ita nempe rationes subducunt: Si aequitas et gratitudinis officium donatorem speciei a fructuum ex ne donata post moram consumptorum praestatione absoluit; sequitur etiam, vt eadem aequitatis ratio quantitatis donatorem ab vsurarum praestatione liberet exigatque, vt donatarius damnum ex mora

^u) L. 12. π. de donat. quae stricta interpretandi ratio efficit etiam, vt donator speciei donatae euictionem non praestet L. 18. §. ult. π. de donat.

mora forte oriundum, cum percepto lucro compenſet. Conſequentiae ratio exinde ſatis patere videtur, quod fructuum petitio, ſi non maiorem (§. VIII), certe tamen eundem quam uſurarum, fauorem habeat w). Antecedentem autem propoſitionem, ſi negamus, PAVLVM in auxilium vocant, qui in *L. 41. ff. de re iud.* ſequentia proponit: *fundum quis donauit, ſi non reſtituit, ut quiuis poſſeſſor damnandus eſt. Si autem fundum reſtituit, fructuum nomine, SI NON EOS CONSUMSIT, in ſolidum condemnandus eſt, potuit enim non periclitari, ſi ſtatim reſtituiſſet.* Sed reſpondemus, laudata aequitas in ſe ſpectata talis non eſt, quae ad negotia forenſia pertineat. Nec quidquam habet donator moroſus, quod compenſet. *Imperfectum enim remunerandi officium tale debitum non tribuit, quod iuri donatarii perfecto obuerti poſſit.* Certe, ſi vnquam, hic locus eſt regulae, quod diuerſa debiti et crediti ratio compenſationem non admittat x). Neque laudatam aequitatem vllō modo confirmant memorata legis verba. Quod enim donator ſpeciei a fructuum poſt moram, ſed tamen ante litis conteſtationem, ex re donata conſumtorum praefatione abſoluendus ſit, ſecundum ius Roma-

w) *L. 34. ff. de uſur.* vbi docet VLPIANVS, quod uſurae vicem fructuum obtineant et merito non debeant a fructibus ſeparari.

x) omne compenſationis fundamentum in eo niſitur, ut idem vtriuſque adſit debitum et creditum conf. PERILL. IOH. TOB. CARRACHII diſſ. praecipuae differentiae iuris Romani et Germanici in compenſatione §. 5.



Romanum, ambabus largior y). Hoc autem non aequitas facit et gratitudinis officium, sed *ciuilis regula*, qua Romani in caullis, quae bonae fidei non erant z), utebantur, quam idem ille PAVLVVS tradit, quem patrum sibi expetunt dissentientes. Audiamus ipsa verba L. 38. ff. de usuris: *Si actionem habeam ad id consequendum, quod meum non fuit, veluti ex stipulatu, fructus non consequor, etiam si mora facta sit.* Hanc vero regulam in nostris foris incongrue applicari, ex supra deductis (§. XI. in fine) abunde intelligitur.

§. XXIX.

De legitimo modo harum usurarum.

Sic itaque usurarum ex mora donatarii existentia euicta, de legitimo earum modo paucis differemus. Usurae ordinariae secundum ius commune hodiernum sunt quincunces (§. VII). Itaque nec donatarius a moroso quantitatis donatore ordinarie grauior, quam quincunces usuras, exigere poterit, quamuis ei in casum morae speciatim sint promissae (§. XXI. not. d.), nisi forte lex pro-

y) quamuis hoc ex allegat. L. 41. probari nequeant, quam de casu, ubi donator fundum donatum et traditum bona fide ierum possidere coepit, accipiendam esse, commonstrat SAM. L. B. de COCCETVS in iure ciu. controuerso tit. de donat. Quaest. 8.

z) aliud enim in venditione et similibus b. f. contractibus obtinere quis recit?

prouincialis semisses permittat (§. VII). At enim vero si ex mora donatoris maius damnum habuit donatarius, quam per quincunces vsuras ei reparatur, ordinariam hancce vsurarum mensuram egredi eum posse, existimarem. Quum enim ius naturale praecipiat, vt omne damnum dolo culpaue datum plene reparetur, aequissimum etiam est, vt morosus debitor omne damnum resarciat, quod frustratione sua intulit creditori, quam aequitatem diserte approbat *R. I. 1600. §. so viel nun* verbis: *Da aber Creditori, solche 5 % nicht annehmlich, sondern vermeinen wolte, tam ex lucro cessante, quam ex damno emergente ein mehreres zu fordern, daß ihm alsdenn sein gantz interesse zudeduciren, gebührlich zuliquidiren, und abzuschneiden, und der richterlichen Erkenntnis darüber zugewarten, unbenommen seyn soll.*

§. XXX.

An donator hodie vsuras rei iudicatae debeat?

Ad soluendam quantitatem promissam condemnatus, si post quadrimestres inducias non soluit donator, secundum ius Romanum, ad centesimas vsuras tenetur (§. XIX.). Quod, an hodie adhuc iuris sit? non immerito quaeritur. Mihi, saluo meliori iudicio, distinguendum videtur, aut lex specialis, prouincialis nimirum vel statutaria, vsuras centesimas in *L. 3. C. de vsur. rei iudic.* praefinitas, approbavit; aut non. Si prius, nihil est, quod donatorem

F

con-



condemnatum ab hac poena morae minime iniqua a) liberare possit; neque ad imperfectum remunerandi officium prouocanti iudex accommodabit aures, secundum *leges* iudicare iussus. Sin vero eiusmodi lex specialis tam scripta, quam non scripta deficit; accedo sententiae existimantium *L. 3. all.* hodie applicandam non esse b), praecipue, quia poenam pecuniariam priuatam determinat, pro quarum non vsu hodie praesumptio militat c).

§. XXXI.

- a) vt ostendit AVG. de LEYSER *sp. CCXLIV. medit. 7.*
- b) hanc sententiam fouent IOH. BRUNNEMANN *ad L. 1. C. de usur. rei iudicat. n. 3.* GEORG. AD. STRVVIVS *in syntagm. iurisprud. ciuilib. tit. de re iudicat. §. 16.* SAM. STRYCK, *in vsu modern. II. tit. de usuris §. 13.* aliique. Applicationem autem huius legis propugnant ICTI VITEBERGENSES apud BALTH. de WERNHER *tom. 2. part. 10. obs. 253. et tom. 2. part. 6. obs. 316.* AVG. de LEYSER *cit. loc. et anonymus*, qui hoc thema ex instituto pertractat sub tit. *worläufige Deduction, daß noch heutiges Tages in Deutschland nach dem L. fin. C. de usur. rei iudicat. zu sprechen sey.* Exstat hoc scriptum in ANTON. FABRI *Staats-Canzley part. 60. p. 603.* Horum argumenta iam sigillatim perlustrare, non vacat.
- c) hoc late deducit CHRIST. THOMASIVS in *diff. de vsu actionum poenaliu iuris Romani in foris Germaniae.* Halae habita 1693.

§. XXXI.

An usurae dotis et donationis propter nuptias hodie sint trientes?

A dotis vel donationis propter nuptias donatore moroso *trientes* usuras exigere permissum esse a IVSTINIANO imperatore supra commonstrauimus (§. XVII. et seq.). Iam vero perquirendum est, an hocce extraordinarium usurarum quantum (§. VI.) hodie quoque obseruandum sit? Quod minime putamus. Haec enim obseruatio, mutata rerum facie, non ad commodum dotis et donationes propter nuptias pertineret, quod promouere voluit legislator (§. XVII.). Egregie sane fauorem dotis promouerent iudices, si dotis donatorem in *trientes* et aliarum rerum largitores in *quincunces*, vt hodie iuris est, propter moram (§. XXVIII.), condemnarent. Siccine quod in fauorem constitutum est, in odium detorquerent? Eaque propter inclytum scabinatum IENENSEM morosum dotis promissorem, non in *trientes*, sed in consuetus usuras (*landüblichen Zinsen*) condemnasse, testis est CHRISTOPH. PHILIP. RICHTER d).

§. XXXII.

De cursu harum usurarum generatim.

Restat, vt de cursu usurarum ex mora donatoris, quaedam coronidis loco, addam. Quae consideratio hoc

F 2

videtur

d) in *decisionibus iuris variis part. 2. decis. 74. n. 18.*



videtur exigere, vt, tam illud temporis momentum mon-
strem; quo haecce vsurae incipiunt deberi, quam etiam
illud, quo, peracto veluti cursu, consistunt et deberi desi-
nunt. Quandoquidem vero haecce vsurae ex mora tam-
quam sua causa proueniunt, facilis est generalis horum
problematum resolutio. *Incipiunt nempe currere, simul-
ac donator in mora soluendi est, et hac mora sublata,
desinunt.*

§. XXXIII.

Quid requiratur, vt cursus earum initium capiat ?

Quemadmodum autem mora in genere est, *rei per-
agendae iniusta dilatio e*); ita speciatim donator mo-
ram admittit, si rem donatam iusto tempore dolose aut
culpöse non soluit. Itaque vsurae ex mora donatoris non
possunt currere, nisi

- I exstiterit tempus, quo adimplenda donatio erat;
- II nisi intra hoc temporis spatium non soluerit dona-
tor, atque id quidem
- III dolose aut culpöse.

§. XXXIV.

^o) conf. ILLUSTRIS CHRIST. FRID. GEORG. MEI-
STER in *diff. de notione iuridica morae* 1. vbi §. 12. eandem notio-
nem tradit, quamuis aliter expressam, IOH. GOTTFR. SCHAVM-
BURG in *compendio iuris* D. tit. *de usuris* §. 14. SAM-
STRYCK. in *diff. de purgatione morae* Cap. 1. §. 4. SAM, L. E.
de COCCIVS in *cit. system. scđ. de mora* §. 395.



§. XXXIV.

In regula hae usurae non incipiunt currere, nisi post factam interpellationem.

Ad id igitur, vt usurae ex mora donatoris currant, requiritur dolus aut culpa (§. praeced.), ideoque vt contra officium suum donator egerit. Iam vero quilibet debitor, et sic etiam donator, in regula non est obligatus, vt sponte soluat, sed demum ad interpellationem, sicque moram regulariter non contrahit, nisi ad legitimam interpellationem non soluerit *L. 32. π. de usuris L. 469. 4. C. de episcop. et cleric. f.*) Usurae itaque ex mora donatoris regulariter prius non currunt, quam si ad legitimam interpellationem donatarii donator non soluerit *g.*)

§. XXXV.

Quod post interpellationem modicum etiam spatium elapsum esse debeat.

Et quia, peracta etiam interpellatione, fieri plerumque non potest, vt statim soluat donator, atque ad impos-

F 3

sibilia

f.) conf. GERHARD NOODT cit. tr. de foenore et usuris lib. 3. Cap. 9. ILLVSTR. MEISTER cit. diff. §. 62.

g.) interpellatio legitima est admonitio a creditore debitori facta iusto tempore et loco. ILLVSTR. MEISTER cit. loc. §. 55. Vt iudicialiter fiat, secundum ius commune, necesse non est *L. 46. §. 4. C. de episc. et cleric.* quamuis omnino consultum sit. Sunt enim magni nominis Icti, qui usuras ex mora non prius currere docent, nisi a tempore iudicialis interpellationis. WERNHER part. 7. obs. 159. BENED. CARPZOV. Lib. 4. resp. 56. IOH. HENR. BERGER in Occ. iur. pag. 566. not. 1.



sibilia non datur obligatio; consequens omnino est, ut ei modicum spatium, ad procurandam solutionem, sit concedendum, quod nempe ad hunc scopum sufficit §. 35. *I. de inutil. stip. L. 137. §. 2. π. de V. O. h.*) Non itaque in mora existit donator, et usurae ex mora eius non currunt, nisi et modico eiusmodi spatio post interpellationem transacto, solutio facta non fuerit.

§. XXXVI.

Casus recensentur, in quibus usurae ex mora currunt sine interpellatione.

Haftenus regulam consideravi, iam exceptiones leviter attingam. Sunt enim casus, in quibus ad hoc, ut moram contrahat donator, atque ut ei usurae currant, nulla opus est interpellatione. Talisemodi exceptio, aut in ipsa legis dispositione nititur, aut in dispositione privatorum, et quidem, aut testatoris, qui haeredem praecise obligavit, ut certo die donationem mortis causa exsolvat; aut paciscentium, si nempe conuentum est, ut donator certo die, etiam nulla praeuia interpellatione, solvat. Atque hoc intendere videntur paciscentes, quando diem solutionis specificè adiiciunt *L. 12. C. de contrah. et committ. si-*

b) quale spatium, cum, pro diversitate circumstantiarum, diversimode determinandum sit, non difficulter intelligitur MARCIANVS, qui ex ANTON. PII rescripto docet, quod definitio quaestionis, an mora facta sit? sit magis facti, quam iuris,

stipulat. i); hoc est, quod DD. dicunt, *diem interpellare pro homine k*). Si igitur, die solutionis speciatim addito, non soluit donator, in mora versari recte praesumitur, sicque usurae ex hoc temporis momento computantur.

§. XXXVII.

Quando ex legis dispositione vera interpellatione opus non est.

Lex autem interpellationem vel plane remittit, statuendo terminum quo praecise adimplenda donatio est, cuius exemplum supra occurrit (§. XVII. et XVIII). Atque tunc, elapso hoc spatio, usuras currere, facile patet (§. praec.) l). Vel interpellationem re vera non factam ob iustam causam pro facta declarat, quo casu mora contracta est, et usurae currunt statim ex eo tempore, quo interpellatio iuste fieri, et ad eam solutio procurari quam primum potuit (§. XXXV), fictio enim iuris idem operatur quod veritas.

§. XXXVIII.

Primus casus quo lex interpellationem fugit.

Pro facta autem habetur interpellatio, si dolo vel culpa sua impediit donator, quominus interpellatur; ut pote si sui copiam studiose non facit donatario interpellare volenti *L. 23. pr. et §. 1. ff. de usuris m*). Hoc sane

G casu

i) conf. ILLVSTR. IOM. AVG. HELFELD *cit. loc. §. 229.*

k) GERM. NOODT. *cit. tr. lib. 3. cap. 9.*

l) ILLVSTR. MEISTER *cit. loc. §. 36.*

m) vid. HENR. COCCCIYM in *disq. de mora §. 144.*



casu ipsa aequitas poscit, ut quod factum non est, fieri tamen iure potuit, in aestimatione morali, pro facto habeatur, ne dolus profit, cum alterius iniuria.

§. XXXIX.

Secundus casus, quo interpellatio fingitur.

Secunda species est, si quis pupillo vel etiam minori donauit, non addito solutionis termino *L. 26. §. 1. ff. de fideicom. libert. L. 3. C. in quib. causis restit. in integr. necess. non est. L. 87. §. 1. ff. de leg. 2. n.* Quia enim ob lubricum aetatis et tutorum vel curatorum incuriam, interpellatio facile negligitur; specialis tutela, qua res publica eiusmodi personas fouet, quae res suas proprio Marte administrare nequeunt, requirere videbatur, ut interpellatio, eo tempore, quo iuste fieri potuit, pro facta haberetur (§. XXXVII).

§. XL.

Quartus et reliqui.

Denique, quum minorum iura fauorabilia etiam ecclesiis, piis causis *cap. 1. et 3. X. de restit. in integr. rebuspublicis, vniuersitatibus L. 4. C. in quib. causis restit. in integr. necess. non est. ac fisco L. 17. §. 5. L. 43. ff. de usuris*, tribuantur; consequens est, ut qui ecclesiis, piis causis, rebuspublicis, vniuersitatibus, aut fisco donauit, itidem sine vera interpellatione, in mora constituatur o).

§. XLI.

²⁾ ILLVSTR. CHRIST. FRID. GEORG. MEISTER *cit. loc. §. 33.* HENRICVS COCCIVS *de mora §. 14. AVG. de LEYSER spec. CCXLIV. m. 8.*

³⁾ ILLVSTR. MEISTER *cit. loc. §. 36.*



§. XLI.

Quando usurae ex mora donatoris currere desinant?

Iam nihil superest, quam, ut de tempore, quo cursus usurarum ex mora donatoris sistitur, quaedam addam, quod sublata donatoris mora accidere, iam supra (§. XXXI) asserui, quia tunc quasi obstructus est fons, ex quo profluunt. Mora autem debitoris, et sic etiam donatoris, cessare potest, vel, quia *extinctum est debitum principale*, in quo scilicet non soluendo mora admissa est, veluti solutione, praescriptione, novatione *p*), depositione iudiciali facta. Vel *saluo manente debito principali*, atque hoc

- I vel *facto debitoris*, quo moram purgat, si nempe realiter et legitime offert debitum creditori accipere illud recusanti, *q*). Vel
- II *facto creditoris*, quo scilicet morae gratiam facit. Vel
- III *facto tertii*, veluti iudicis solutionem inhibentis *r*).

§. XLII.

An, si saluo debito principali mora tollitur, omnis obligatio ad usuras cesset?

Hisce autem tribus casibus, quos modo allegavi, usurae quidem *ex mora* non amplius currere possunt, quorum quippe fundamentum sublatum est. Alia autem

G 2

quaestio

p) vid. L. 18. D. de novat. quod tamen de novatione improprie tali, quae fit per lit. contest. non valet L. 35. D. de usuris, haec enim debitum non tollit, sed auget, et causam actoris meliorem reddit, non deteriorem conf. N I C. H I E R O N. G V N D L I N G I I diff. de litis contest. Cap. 2. et F R I D. E S A I A E P V F F E N. D O R F F I I tr. de culpa pag. 328.

q) mora enim debitoris purgatur debitum offerendo, docente P A V L O L. 91. §. 3. π. de V. O. adde L. 72. π. de solut.

r) L E Y S E R spec. CCXII. med. 10.



quaestio est, ane praeter moram aliud adfit fundamentum, quod efficit, vt vsurae cursum suum continuare debeant, donec extinctum fuerit debitum principale? atque hoc omnino puto. Donator enim, quantumuis in mora amplius non sit, vsus tamen habet quantitatis alienae, idque sine iure. Ergo secundum ea, quae supra (§. IX. n. II.) exposita sunt, adhuc adest fundamentum vsurarum. Obiicis, quod parata etiam pecunia non semper commodum possessori adferat, quum saepe deficiat pecuniam elocandi atque etiam ad alium scopum vtiliter adhibendi occasio. Sed rehero, ordinarie eiusmodi occasio sollerti patri familias deficere non solet, ideoque qui tale quid allegat, praesumptionem aduersus se militantem habet, quam ipsa lex imperii confirmat *R. I. 1599. §. so viel nun verbiß: da aber Creditori - - (§. XXIX) s*). Quae de reliquis casibus, quos Spho praecedente recitavi, speciatim adhuc moneri possunt, sine magno negotio ex generalibus iuris regulis deducuntur. Ne itaque in finiendo vsurarum cursu operam perdidisse videar, tractationi potius impono.

F I N E M.

s) Idem etiam ius Rom. approbat, disponendo, quod iter vsurarum ex mora, sola oblatione reali non sitatur, nisi pecunia solvatur, aut legitime deponatur *L. 28. §. 1. π. de adm. et peric. tit.* quod late deducit GERH. NOODT. *cit. tr. lib. 3. cap. 15.* Eandemque sententiam secuti etiam sunt ICTIENENSES apud CHRIST.

PHILIP. RICHTER *decis. 74. §. 10.*



ULB Halle 3
004 526 880




SB

K078







1531
1768/2

TRACTATIO IVRIDICA
QUA DISQVIRITVR,
*AN, ET QVATENVS VSVRAE
EX MORA, A QVANTITATIS DONA-
TORS, EXIGI POSSINT, SECVNDVM
IVS ROMANVM ET MODERNVM
IN GERMANIA?*

AVCTORE
GOTTLLOB EVSEB. OELTZE
IVRIVM DOCTORE IN ACADEMIA
GENENSIS.

I E N A E
EX OFFICINA HELLERSA
1768.

